

Philosoph.
12.

Ang.
VI 76



~~C. 14. 72.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-76.

SIGNAT. clōloCCXIII.



9

XCV.
DISPUTATIONES ACADEMICÆ;

Quarum

Priores XLIX. de

Disciplinarum Philosophicarum

usu, quem in Theologiâ habent, agunt; posterior-
res verò XLVI. Moralem Philosophiam,
ab Aristotele traditam, exhibent;

Ex

Optimis Autoribus conscriptæ, &

partim publicè, partim privatim, habitæ,

A

MICHAELE WENDELERO, S.S.

Theologiæ D. & P. P.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII.
Anno M D C LIX.



SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
DN. ELECTORIS SAXONIÆ &c.

IN SENATU ECCLESIASTICO SUMMO,

DN. PRÆSIDI

EMINENTISSIMO,

VIRO

ILLUSTRI AC GENEROSO,

DN. HAVBOLDO à MILTIZ,

in Schenckenberg/Oberau und Scharffenberg/rc.

NEC NON

DN. CONSILIARIIS GRAVISSIMIS,

VIRIS

Notilissimis, admodum Reverendis, Magnificis, & Consultissimis,

DN. JACOBO VVELLERO, à

Molsdorff/in Rarsdorff Hæreditario, Theologo de
Ecclesiâ Christi meritissimo, Serenissimo Electori Saxonix à Con-
cionibus Aulicis primariis & Confessionibus Ecclesiasticis &c.

DN. CHRISTOPHORO BVLÆO,

Theologo celeberrimo, Ecclesiæ Dresdensis Pastori &
vicinarum Superintendententi Generali &c.

DN. JOHANNI LVDOVICO CÖP-

PELIO, in Klippenhausen/JCto celeberrimo, & Serenissi-
mo Electori Saxonix à Consiliis Juliacensibus &c.

DN. JOHANNI BARTHOLO-

MÆO REUSNERO, JCto clarissimo & Comitum Stolber-
gensium Consiliario &c.

Dominis & Patronis suis honoratissimis,

Salutem plurimam precatur.

V I R I

Generose, Nobilissimi, admo-
dum Reverendi, Magnifici, & Consultissimi,
Domini & Patroni honoratissimi,



Nni novendecim, & quod excurrit,
abierunt, ex quibus publicum docendi munus
à Serenissimo Electore concreditum mihi fuit.
Intra quod temporis spatium quid publicè pa-
riter ac privatim fecerim, præstat tacere, quàm aliquid di-
cere. Turpi otio certè indulgi nunquam. Moralem
namque Philosophiam singulis annis legendo disputando-
que absolvi non tantum; sed quoque in aliis disciplinis,
cum primis in Mathesi, nunquam non me exercui. Eandem
didiceram non leviter, aut tumultuario studio, ex Dn. M.
Christiano Reinhardo, Dn. M. Erasmo Schmidio, & Dn.
Ambrosio Rhodio, Clarissimis quondam nostræ Academiæ
Doctoribus. Nam lectionibus, in quibus Dn. D. Rhodius
explicavit Almagestum Ptolomæi, interfui. Postea Astrono-
miam Danicam, quam Dn. Severini Longomontanus edi-
derat, ex ejusdem ore percepi. De Euclide, Archimede,
Calculo Eclipsium, aliisque autoribus non dicam. Ex Dn. M.
Schmidio, ad cujus pedes integrum quadriennium sedi, pri-
ma totius Matheseos fundamenta, unà cum Calculo Ecli-
psium atque earundem Effectibus & Significationibus, stu-
dio nunquam interrupto hausi. Biennium consecravi pri-
vatis Dn. Reinhardi lectionibus; in quibus, præter Genera-
lem Mathesin, percepi totam Arithmeticã, hoc est, ut com-
muniter loqui solent, Arithmeticam Vulgarem, Albegrai-
cam

cam & Logisticam Astronomicam, Geometriã, Trigonometriã, Geodæsiã, & tandem, totam Astronomiam Danicam, cum omnium Planetarum calculo. Non autem, ut plerique faciunt, nobis communicavit principia tantum, sed difficillimas etiam demonstrationes, easque ad unam omnes, tantã cum diligentia & dexteritate, ut ex ejusdem scholis Mathematicis, tanquam ex eqvo Trojano, prodierint clarissimi Matheseos Doctores, iique non pauci. Tot & tanta in hac nostrã clarissimã, & ad sidera usque notã Academiã, ex tot & tantis audivi viris; sicut plurima scripta, quæ tunc temporis calamo excepi, & etiamnum possideo, luculentum mihi perhibere testimonium possunt. Post, acquisito Magistri gradu, ipse Mathesin docui Dn. Studiosos, eosque quàm plurimos; & de rebus difficillimis, ex Mathesi desumptis, iterum atque iterum disputavi publicè. Plura quoque præstitissem in hoc studiorum genere, si fonticæ & prægnantes causæ meos non impediissent conatus. Dum hoc vitæ genus seqvor, integrum fermè sexennium effluxit. Hinc jussu Serenissimi Electoris, inter Publicos Professores mihi benevolè conceditur locus, daturque publica Moralem Philosophiam docendi potestas, anno scilicet M. DC. XLI. Rebus meis sic stantibus, tandem Mathesi valedicere volebam; sed non potui. Nam nonnulli, meis Mathematicis assveti scholis, quotidiè me interpellabant, & ad pergendam Mathesin instigabant indefinenter. Hanc ob causam, hoc etiam anno, quosdam, qui id à me petierunt, doceo Mathesin, atque eandem unã cum reliquis disciplinis, ad Theologiam accommodo passim, idque facio tum in lectionibus, tum in disputationibus meis: quarum nonnullæ publicis typis sunt exscriptæ; nonnullæ verò, cum primis Mathematicæ, si Deus de-

dederit, sequentur. Primas tantum eorum librorum, qui his de rebus à me ex optimis nostræ Ecclesiæ Doctoribus sunt conscripti, lineas exhibeo. Adde præterea disputationes alterius generis sex & quadraginta, quibus breviter repeto, quidquid Aristoteles de moribus & statu Politico juxta ac Oeconomico in suis libris tradit. Studiosæ juvèntuti placere, eidemque utilis esse volo. Quòd si hoc assecutus fuero, triumpo, & sat obtineo laudis. Has meas lucubratiunculas Vobis, Patroni Maximi, ut inscriberem, Vestra singularis benevolentia, erga me & mea studia, affatim declarata, permovit. Quamquam verò hoc munusculum chartaceum suo pondere satis sit exiguum, & tantis viris in salute ac dignitate patriæ procurandâ occupatis, indignum: tamen à pio & sincero animo, vestras virtutes suspiciente, promanavit. Quare V. G. N. & M. obnixè & submissè rogo, ut hæc disputationes Academicas, veluti observantiæ meæ argumentum certissimum ac firmissimum, serenâ fronte accipere, & me meaque studia suo favore & benevolentia prosequi velint. Sic enim futurum spero, ut non tantum ex hoc meo studio fructum tulisse videar maximum, sed etiam ad majora accendar. Valete prosperè, Generose, Nobilissimi & Maximi Viri, & bono publico, cui nati & destinati estis, vivite & florete diu. Dabam Wittebergæ è Museo meo, die XVIII. Octobris, qui nostræ Academiæ sacer est, anno Epochæ Christianæ c^lo l^o c^lix.

V. Gen. Nob. & Magnif.

Observantissimus

Michael Wendelerus, S. S.

Theol. D. & P. P.



ACADEMIÆ VVITE. BERGENSIS STUDIOSIS

S. P. D.

DE Philosophiæ usu, qui eidem in Theologiâ est, præstat tacere, quàm aliquid dicere. Est hæc instar Trojanorum Palladii. Ut enim, amisso Palladio, milites Trojani tam feliciter fugare Græcos non poterant: ita etiam Philosophiæ ignari cum cœlestis veritatis hostibus benè & cum fructu congregari non possunt. Nam adversarii sumunt pugnandi instrumenta non, ut debent, ex DEI verbo, sed ratione, eaq; sæpissimè fictâ. Omnes enim eorundem decipiendi artes consistunt in principiis quibusdam Philosophicis, iisdemque tum veris, tum falsis. Illa ad res sacras sinistrè applicant; hæc verò pro veris nunquam non venditant. Quo in negotio si tu nescis, quid prodest, quidque obsit, nunquam, si ad argumenta eorundem respondere velis, tuos adversarios vinces. Hinc non malè scripsit *Jacobus Schekkius*, incomparabilis Philosophus, in libro contra Anti-Trinitarios edito: *Verè hoc mihi dicturus videor: nisi accuratiùs homines incipiunt philosophari, futurum, ut nullus sectarum, nullus errorum futurus sit finis, quandoquidem hæc ignorantia accidat, ut neque accipere legitime, neque reddere rationes disputatores imperiti valeant.* Hæc igitur adversariorum, scilicet Papistarum, Calvinistarum & Photinianorum, fraus retagenda maturè est, & verus Philosophiæ usus contra eosdem defendendus masculè, ne varia hinc atque inde corrasa principia, sub sacro Philosophiæ nomine, nobis nihil tale timentibus, arte pla-

planè veteratorià obtrudantur. Quod ipsum à non paucis Philosophis præstitum, magnà cum laude, fuit: inter quos familiam ducit Dn. D. *Jacobus Martini*, magni nominis Philosophus pariter ac Theologus, cui nostra VViteberga plus, quàm Philippo, totius quondam Germaniæ Præceptor, debet. Quantos in hoc studiorum genere subierit labores, plurima ejusdem nos docent scripta. Hic est, qui Ramistas in fugam conjecit penitus, Becanum, subtilem Jesuitam, jugulavit fortiter, Keckermannum & Goclenium, non infimos Calvinistarum Doctores, feliciter prostravit, & tandè Photinianos, dogmata planè Diabolica foventes, ad æternū silentium adegit. Martini proximè sequitur Dn. D. *Baltasar Meisnerus*, cujus ut ipse loquitur, *Philosophia Sobria*, hoc est, *pia consideratio questionum Philosophicarum in Controversiis Theologicis subinde occurrentium*, est hodiè in omniū fermè manibus. His jure adjungimus Dn. D. *Andream Keslerum*, cujus Logicam Photinianam ante annos tredecim, & quod supra est, legendo disputandoque, intra privatos parietes, plurimis Studiosis illustravi, cumq; omnia distracta essent exemplaria, eandem publicis iterum exscribi typis curavi. Idem edidit tum Metaphysicam, tum Physicam, iisdem Hæreticis oppositam. Quid dicam de Dn. D. *Jobanne Scharfio*, studii indefessi Viro? Ipsius Institutiones Logicæ, Theoria Transcendentalis atque alia fermè innumera satis testantur, quàm benè in hoc certamine contra suprà citatos sese gesserit. De reliquis, qui extra hanc Academiam docuerunt, hic non est dicendi locus. Atq; hi sunt, cum quibus in meis lectionibus ubiq; loquor; & ex quibus tres libros, de hâc materiâ agentes, in meo otio Academico, non sine labore, collegi. In primo examinantur errata Papistarum, in secundo Calvinianorum, in tertio Photinianorum. In Philosophiâ
Mora-

Morali nemo, quantum scio, hactenus aliquid edidit seorsim, Quidquid ergò hæc in parte Ethica Photinianorum habet, novâ refutatione indiget. His tribus libris addidi quartum, Problemata Mathematica, quorum usus in plurimis Scripturæ locis haud exiguus est, exponentem. Cùm autem quodlibet scriptum sit premendum in novum annum, ipse quoque hujus præcepti memor, in id totis incumbam viribus, ut omittantur minùs necessaria, addanturque quotidiè, quæ magis necessaria videntur. Quam corrigendi viam juvat frequens tum disputatio, tum lectio. Lectio à me instituta non demum nudius tertius est; instituitur semper, & si Deus dederit, instituetur deinceps. Quid meis effecerim lectionibus, iis, qui interfuerunt, constat. Ipsæ autem disputationes restant. His etiam ut faciam satis, incipiam easdem ex Philosophiâ Sobriâ Dn. D. *Balthasaris Meisneri*, decerpendas, eo ordine, quo in ipso Autore exstant. Ipsius Autoris tum sententiam, tum verba, ob causas prægnantes juxta ac fonticas, retinebo ubique. Hoc dum facio, & mihi & Vobis, Amici Auditores, prodesse possum. Vos res ipsas & processum disputandi diligenter docebo; me verò in iis, ubi hæreo, magis magisque confirmabo. Quibus hoc meum studium erit gratum, sua apud me ut profiteantur nomina, etiam atque etiam rogo. Id agam omni horâ, ne quenquam temporis & sumtuum, qui exigui erunt, poenitere possit. P. P. Dominicâ Estomihi anni M. DC. LVII.

Michael Wendelerus, D. & P. P.



ULB Halle


3


005 129 222



Reho
W 17







9

XCV.
DISPUTATIONES ACADEMICÆ;
Quarum
Priores XLIX. de
Disciplinarum Philosophicarum
usu, quem in Theologiâ habent, agunt; posterior-
es verò XLVI. Moralem Philosophiam,
ab Aristotele traditam, exhibent;
Ex
Optimis Autoribus conscriptæ, &
partim publicè, partim privatim, habitæ,
A
MICHAELE WENDELERO, S.S.
Theologiæ D. & P. P.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII.
Anno MDC LIX.

